



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ceres.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

quam verum tacite innuit Græci nominis significatum, hoc est, asserticis, quippe ab ἔργον & ἔργον
μα, assero, libero, defendo: unde ἔργον, munitio, propugnaculum. Inde etiam Eryci epibethum
cellus, quod editioribus locis arces olim fieri solita.

NUPTIÆ. CAP. XXV.

Romano-
rum nuptiis.

ERat & nuptiarum index fax illa, quam prætextatus puer apud Romanos patrimusque
præferbat, duobus aliis ejusdem ordinis & conditionis nuptam deducentibus. Nocti autem
prima aut secunda hora ducere mos erat, ominis causa: quod ita optima ac fecundissima eventura
sibi proponebant: quod nonnulli tradunt in honorem Cereris institutum. In hoc autem sacro et
superstitio accesserat, ut fax ea ab utriusque amicis raperetur, perfuncto munere, quod ea inceserat
religio, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulcro comburendam curaret:
siquidem utroque mors propinqua alterutrius captari putabatur: Addemus, tametsi παρ' ἑγρον, in-
stitutum apud Romanos fuisse, ut virgo, cum ad virum trahebatur, de matris gremio, aut alterius,
quæ proxima necessitudine esset, rapi simularetur: eo scilicet omine, quod ea res feliciter Romulo
cessisset. Hinc illa apud Catullum:

*Hesperè, qui calo lucet crudelior ignis,
Qui natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam.
Et juveni ardenti castam donare puellam:
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?*

Græcorum
mos in nu-
ptiis.

Sed ut ad faciem revertamur, apud Græcos ad id ministerii ancillæ adhibebantur, ut cernere est in
Herculis Scuto apud Hesiodum: opus enim id antiqui illius esse Apollonius & Stesichorus agno-
scunt. Ibi novam nuptam plaustro vectam videas:

Euripides
in Troadi-
bus id tri-
buit Vul-
cano.
Ἡρασε
δαδρυχέας
μυρτα
γαμοίς
βροτῶν
σα εἶναι, in
nuptiis
mortalium
Vulcanus
fersi facies.
Æneid. 1.

Ἡλῆ δ' ἀπ' αἰθορήων δαίδων σέλας εἰλύφαζε χερσὶν ἐνὶ θυμῶν.
Ardentes late spargebant lumina tædæ, Quas manibus famula gestabat.
Quamquam moris etiam invenio apud Græcos fuisse, ut mater nuptiales eas faces prætenderet,
unde apud Euripidem:

*Ἐγὼ δ' ἔπει σοὶ πύρες ἀνήψα Φαίς
Νόμιμον ἐν γάμοις, ὡς πέπυ μητρὶ μακαρία.
Atqui nec ignis prætulit lumentibi,
Nempe ut beatam in nuptiis leges monent.
Decere matrem,*

Aneas apud Virgilium cum se maritali conjugio devinctum abnegaret, ait:
Nec conjugis unquam prætendi tædæ.

CERES. CAP. XXVI.

Æneid. 1.

ET etiam Cereris gestamen fax, in ejus enim manu alicubi cernitur, quam ajunt ab ea incensam
in Ætna, cum filiam perquirere instituisset.

ILITHYIA. CAP. XXVII.

Quinetiam Ilithyæ hieroglyphicum est, cum face in una manu, altera passa & exporrecta, d
capite ad pedes tenuissimo panno contextum, prout apud Aeginetes fuisse Pausanias memi-
nit. Fax vero illa, vel partum, ob dolorem ignis violentiæ assimilari ostendit: vel lucis illius quam
nascens indispiscimur indicium est. Exporrecta discapedinataque manus eo significato ponitur
quod solvi gravidam partu dicimus. Amictus per se patet.

DE THURIBULO ET PHIALA.
CAP. XXVIII.

Quoniam vero multa super Urna prius & Phiala dicta fuerunt, contrariaque his addita Lucerna,
& Faces, consentaneum est visum, ut quid utrumque simul junctum significet, videamus.
Proposita autem sunt pro hieroglyphico Thuribulum & Phiala.

DISCOR-